Verbo, ad quod assumpta est, constituit verè personam propositam. Contra-
hominem, 52: cuius vera Mater est B.ma V. M.: licet ad unionem
hypostaticam non concurrerit activè instrumentaliter. 53: Etsi omnes 3
Div: personae una simul naturam terminare possent, 54: de facto tamen
solum Verbum immediatè terminat humanitatem per subsistentiam relativam
sibi propriam. 55: quam in assumptione non solum sanguinem, 56: sed
et defectus corporis communes, ac passiones, [illegible],
sibi coniunxit. 57: Nulla quidem persona creata ullatenusque assume-
re potest in unitate hypostasis aliam naturam creatam, 58: Verbum
tamen et naturam Angelicam, 59: et plures simul naturas, 60: imò et
naturam irrationalem completam sibi hypostaticè unire potest. 61: natura verò
creata, propria subsistentia terminata, personalitate divinâ amplius ter-
minabilis non est. Disput: 7 Julij ante- et post prandium.

## De Perfectionibus Xti Dni.

XIX.na 62: Humanitas Xti Dni sanctificatur non solùm per Gratiam
habitualem, 63: sed etiam per sanctitatem substantialem Verbi si-
bi hypostaticè uniti. 64: quo tamen sanctitas substantialis est, non ad-
venit ex ipsa Verbi personalitate; sed ex natura div: median-
te Verbi personalitate unitâ humanitati. 65: habuit Christus rigo-
rosum moriendi praeceptum, 66: quod liberrimè implevit, 67:
quamvis illud transgredi non potuerit, eo quod fuerit ab intrin-
seco impeccabilis. 68: fuit humana Christi voluntas omnibus sta-
tui suo non repugnantibus virtutibus erat ornata; 69: ita eius-
dem intellectus à primo conceptionis instanti tam scientiâ beatâ,
70: quàm infusâ fuit perfusus. 71: sed et propriis actibus
sibi scientiam experimentalem acquisivit. 72 satisfactio,
quam pro homine Deus-homo Deo Patri obtulit, erat ad
rigorosae justitiae, 73: et simpliciter infinita. Disputatae
sunt Augusti 1735 ante et post prandium. ut

I: O: G: D:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/1012
gefördert durch
Baden-Württemberg